



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt XIII. Quanta vis sit innatæ præsertim & inueteratæ cupiditatis ad  
animum infelici seruitute premendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](#)

Ium, verum etiam inter duo mala consistit. ut non magis consequens sit, non esse liberum arbitrium in homine, quia bonū facere non possit, quam in Deo nō esse, qui malē facere nō potest. Deinde quis vñquam dixit Catholicus, homini non nisi malū velle & posse, competere? prorsus & modò cùm infirmum & læsum est hominis arbitrium, potest & velle bonum & facere. Sed illo adiuuante potest, qui dicit: Sine me nihil potestis facere. &, Faciam ut in p̄ceptis meis ambuletis. Sed contra Cassianum collatorem copiosè & eruditè disseritur à diuo Prospero Episcopo Regiensi.

Cap. 17.

## CAPVT. XIII.

*Quanta vis sit innate presertim & inueterata cupiditatis ad animum infelici seruitute premendum.*

**H**æc eò dicta sunt, ne aut p̄textu gratiæ qua liberamur defendendæ, liberum destruatur arbitrium; aut studio propugnanda libertatis naturalis sic effluamus, ut gratiæ Dei facere videamur iniuriā, quæ implicatæ necessitatū nostrarum expediti, beata libertate donamur. Quod ille beneficium cōsecutum se esse recognouit, qui dixit: *Quia respexisti humilitatem meā, saluasti de necessitatibus animā meam: nec cōclusisti me in manib⁹ itimici. Ac reuera (quoniam* Psalms. 30. *huc nostra reuocari debet oratio) quis edisserat pro rei magnitudine, quantæ sint necessitates vincendarum cupiditatum, & annosæ consuetudinis malæ? vides quam malē facias, quam detestabiliter, quam infeli-  
eiter; & facis tamē. Fecisti heri, facturus es hodie, cras quoque fiet idein. Vnde raperis? quis te captiuum tra-  
hit? nullāne hæc necessitas est infelicissimæ seruitutis, quam lex membrorum imponit? Nullūne iugum quod ille se perpeti verbis eiusmodi confessus est?*

Psalm. 30.Nec tuusQuidam

*Odi, nec possum cupiens non esse quod odis:*

*Heu, quam quod studeas ponere, ferre graue est!*

D. 3

Nam

*Nam defunt vires ad me mihi ius q̄ regendum,*

*Auferor ut rapida concita puppis aqua.*

Est etiam interdum vehemens adeò semel incitatæ & ardentis cupiditatis imperium, ut corporis salus (cuius nec inter depravatissimos mores præcipua cura depo- nitur) præsentissimis periculis exponatur. Vnde non alienum videtur ex D. Ambrosio repetere, quæadmo- dum Theotinus quidam cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorē; interdicta sibi à me- dico facultate coëundi, cupiditatis impatiēs, atq. im- petu libidinis raptus, sese moderari ac resistere nequi- uerit. Sciens enim prudēsque quòd esset oculos amis- surus, priusquā misceretur vxori, in ipso ęstu feruentis cupiditatis & consuetudinis apparatu, Vale, inquit, amicum lumen. Hæc nimirum vis est flagrantis cupi- ditatis, ad animū, quo cunque velit, reclamāte quoquo- ratione, pertrahendum. Hic meridianus (opinor) ille dæmon, qui clara etiā & illustri cognitionis luce, & stu- tentationis potenter incurrens, multos subuertit. Sic turpiter pernicioseque seruit animus libidini, vt non modò æterna quæ non videntur, sed nec ista quæ sen- tiuntur vitæ præsentis incommoda, proinde fugiātur. Imò verò & euentura præudentur, & à sciētibus pru- dentibusque accersuntur, atque ut vitiis dominātibus pareatur, tanti frequenter emitur, pœnitere. Ingentes, inquit, parturit ira minas. At caue saltem, quæ cōmi- nata sis explēatur. Imò & hic irę seruendum est, etiā

*Ouidius epist. Medea ad Ia- sonem.* consequatur pœnitudo. Quo feret ira, sequar, ait, fædi fortasse pigebit. Dicat & D. Cyprianus quanta sit vis prementis & malè blandientis cupiditatis: de se ipse confiteatur, quid aliquādo senserit, quarumque se ne- cessitatum catenis animaduerterit esse compedium.

*Lib. 2. epist. 2.* Ego, inquit, cùm in tenebris atque in nocte cœca iace- rem, cumque in salo iactantis seculi, nutabundus ac dubius, vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitę meę nescius,

nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc morbus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgenia pollicebatur, ut quis renasci denuò posset, utque in nouam vitā lauacro aquæ salutaris animatus, quod prūs fuerat exponeret; corporis licet manēte compage, hominem mente ac animo mutaret. Quin impossibilis, aiebam, tanta conuersio est, ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinū situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inoleuit. Alta hæc & profunda radice penitus fuderunt. Quando parsimoniam discit, qui epularibus conuiuiis & largis dapibüs astreuit? & qui pretiosa veste conspicuus, in auro atque in purpura fultus, ad plebeium se & simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, esse priuatus & inglorius non potest. hic stipatus clientum cuneis, & frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, violentia inuitet, crudelitas stimuleret, ambitio delectet, libido præcipitet. hæc egomet sæpè mecum. Nam ut ipse quamplurimis vitæ prioris horroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis adhærentibus obsecundas eram; & desperatione meliorum, malis meis velut iam propriis ac vernaculis affauebā. Hæc de seipso Cyprianus. Et reuera difficile est, immo verò, si corruptæ naturæ vires spectaueris, impossibile, quod natus sis, & longa iam consuetudine firmaueris, id esse desinere, semelque validè impressa, reuocare vestigia. Verissimeque D. Ambrosius dixit, Homines mundi cupiditate possessos, emergēdi non habere facultatem. Ac rursum, Cum semel anima fuerit in cupiditates demersa terrenas, difficultè in altū potest, unde descēdit, sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincita laqueis, & deliciarū secularium illecebris

D 4

obnoxia,

*In Lucam ad  
illud: Beati  
pauperes spi-  
riu.*

*Sub finē lib. 4.  
in Lucan.*

## 56 DE CHRISTIANA LIBERTATE

*Hieros. 1.5.*  
obnoxia, iam tenetur. Hoc ipsum & Propheta dixit:  
Si potest, inquit, Æthiops rnutare pellem suā, aut par-

dus varietates suas, sic vos poteritis benefacere cùm

didiceritis malum. Sapientia ipse quoque cùm erga im-

pios diuinæ benignitatis ostenderet patientiam, Da-

bas, inquit, locum pœnitentiaz, non ignorans quo-

niam nequam est natio eorum, & naturalis malitia

iporum, & quoniam non poterat mutari cogitatio eo-

rum in perpetuum. Vnde & illud esse arbitror, quod

scriptum in Euangeliō est, Facilius esse camelum in-

trare per foramen acus, quam diuitem in regnum ca-

lorum. Amor enim mundi, ut tenacissimis vinculis

animū m detinet in viæ veteris errore; ita repugnat

atque oblitatur, quoad potest, contraria præcipienti-

ac suadenti Deo. Quoniam enim modo non inhæreat

iristar visci tenacis, aut magis expelli quam natura

queat quod ab ipso ortu insit? Alienati sunt, inquit,

peccatores à vulna, errauerunt ab utero; locuti sunt

falsa. Quoniam ratione suis expediantur vinculis, qui

seruitutem propriam sic ament, ut verbum salutis, quo

liberari possent, tanquam cœclusis auribus non admit-

tant? Furor, inquit, illis in similitudinem serpentis,

sicut aspidis surda & obturatis aures suas. Quæ non

exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis

sapiéter. Aspidem enim serunt, ne incantatoris carmi-

ne educatur è latebris, alteram quidem aurem preme-

te in terram, cauda vero alteram oppilare. Denique

prudētia carnis (quemadmodum ait Apostolus) sem-

per est inimica Deo; neque illi subiecta esse aliquo

pacto potest. Cuius tamen voluntati natura omnis

promptissimè cedit, siue conditoris mox agnoscit

imperium. Itaque neque lex, quamlibet sancta & iusta

ac bona, neque ulla doctrina, quantumuis clara & il-

lustris, idoneisque ad persuadendum verbis proposi-

ta, satis esse cuiquam potest ad animum cupiditatis

scrutato

*Sapient. c. 12.*

*Wisdom. 5.7.*

seruitute liberandum. Multoque magis id se effectu-  
rām Philosophia frustra profitetur, vt nec fibræ qui-  
dem supersint stirpium malarum, id est, ægritudinum  
animi seu vitiosarum cupiditatum. Sed quod erat  
legi impossibile, inquit Apostolus, quæ infirmabatur  
per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudi-  
nem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum  
in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui  
non secundūm carnem ambulamus, sed secundūm  
spiritum. Hic est qui educit vinc̄tos in fortitudine,  
similiter & eos qui exasperant, qui habitant in sepul-  
chris: qui conterit portas æreas & vectes ferreos con- Psalms. 106. 1  
fringit. Hic solus est, qui grauatam animam iugo pec-  
cati, liberare de suis necessitatibus potest. quam his  
solutā illud sequitur, vt nec inimici manibus ( quem-  
admodum in Psalmo scriptum est) concludatur. Om- Psalms. 58. 3  
nes enim morientes si bene morimur, ex eius elabi-  
mur manibus. Qui verò in suis iniquitatibus malè  
moriuntur, eius conclusi manibus vñā cum eo in fine  
damnantur. Cuius sub tyrannide pars agitur alia mi-  
serandæ seruitutis.

## LIBRI PRIMI FINIS.

DE